**Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg**

NÜRNBERG

## Bibliographische Daten

| | |
|---|---|
| Titel: | Hartmann Schedel: Liber chronicarum – Nürnberg, STN, Cent. II, 98 |
| Signatur: | Cent. II, 98 |

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

nutu diuino / victoriam haud dubie successura / dum cetere naciones hunc Regem atque ducem optimum sequentur / Cum diuitem italiam / nobilem galliam / fortem hispaniam / bellicosam ac populosam Germaniam adiumento esse senciet / huic arma: huic equi: huic pecunie abunde suppetunt: huic vires longe maiores / quam infidelibus assunt / Inde quoque sperandum erit / qui iuste sue nequaquam deerit. Et pugnantibus diuinum auxilium implorantibus minime defuturum credimus: Vinci et possunt / et sepe victi fuerunt per superiores principes uti premissum est. Minor est infidelium potencia quam fertur / Nec dubium eciam ad orientales prouincias eis ingressus patebit / tanto maiorem ad eum concursum inueniet credencium et populorum / quanto validior eius fuerit exercitus / Cum dominium gloriosum / principes occidentales sicuti fuerint. Id omni christiane reipublice felix et fortunatum erit / Cum ipse maximum et florentissimum Imperium adipiscetur: tum omnes qui sequentur amplissimas opes consequentur ex hoc bello: propositum non finale solum, sed sperata certaque victoria / quo ad mundanam et celestem gloriam / plurimorum quoque et amplissimorum regnorum / et ingentes opes et clarissima imperia prouentura / Demum auxiliante domino Iesu cum insigni victoria et glorioso triumpho reuertentur. Cum autem redierit Inuictissimus Rex Maximilianus / subactis Thurcis / liberam tracia et grecia / ac alia spolia nephanda / Et Terram sanctam christianis restituet / Germanie principes qui multi defuncti sunt hac luce / Inmortales sibi apud inmortalem deum gracias peragent. O qualem ei currum apparabit Italia et germania / Quales gracias aget ecclesia / Que festa omnis christiana societas agitabit / Septentrionis et occidentis Reges redeuntem magnum Imperatorem christiane reipublice seruatorem salutabunt. Cardinales cunctique presules ecclesiarum / et magistratus urbis / longo extra menia interuallo sacra ferentes obuiam ibunt. triuci ambunt / Ad frena quirites / Sternetur purpura et ostro / quecunque ab eo terra calcanda fuerit / Matrone nobiles, virginesque rosas et lilia e tectis in eum spargent / Et variorum serto florum sacro capiti circumnectent: Ipse curru sublimis, aureos in plebem nummos iaciet / quocunque in foro, quocunque in triuio substiterit / nouos ludorum fines offendet: Acclamabitque omnis populus Victori vitam et gloriam: Atque ita triumphans non in Capitolium falsique Iouis edem: sed in apostolorum principis beati petri basilicam deducetur / Ibique maximum sacerdotem / Alexandrum Sextum Verum christi vicarium / Et regni eterni claues tenentem inueniens / largam ab eo benediccionem accipiet / Et amplexus atque deosculatus sanctissimum patrem / secum in penitiorem palacii partem secedet / Ubi et de recenti victoria / Et de rebus germanicis et italicis longos inter sese sermones habebunt. Tunc Conradi Celtis poete laureati musa / quasi ab inferis resurget / et poemata componet. M. Antonius Sabellicus historias scribet: mortalemque regem inmortalitati donabunt / Nos quoque si quid strepere inter olores poterimus, aliquid seorsum inueniemus, quod de tanto rege ad posteros referamus: Hec habuimus que per ciuem Nurembergensem adiceremus. Vos valete et boni consulite. Ex Nuremberga. x. Kalendas Iunias. Anno ab incarnacione saluatoris christi. Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo tercio :~

·H·A·S·D· :~

Quartas aliquas sine scriptura pro sexta etate deinceps relinquere conuenit / iudicio posteriorum / qui emendare, addere atque Gesta principum et priuatorum succedencium perscribere possunt: Non enim omnia possumus omnes / Et quandoque bonus dormitat homerus: In terra enim aurum queritur / et de fluuiorum alueis splendens profertur gloria / pactolusque dicior est ceno quam fluento: Varii quoque mirabilesque motus in orbe indies exoriuntur / Qui nouos requirunt libros / quibus ordine referantur / Paucum tamen de ultima etate ut perfectum opus relinquatur in fine operis adiciemus.